



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Disput. Eadem VI. De tertio attributo Entis, scilicet de Bonitate.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

13 Tribus modis dicitur res falsa, primo propter similitudinem ad rem veram, ratione cuius occasionem falsitatis nobis præbet, & ut melius loquamur, ratione cuius occasionem accipimus propter nostrum defectum, ut scilicet illud existimemus esse, quod non est, ut occasionem, quam sumebat Salomon ad iudicandum Peponem esse Deum, ut Ægyptij, ratione cuius honores debitos Deo, sacrilege, & imprudenter Peponi tribuebant, & de hoc modo dixit Arist. 5. metaph. cap. 29. [falsa dici quæ apta sunt, ut videantur esse, aut quæ non sunt, aut qualia non sunt, ut veluti pictum, & in formia.] Secundo dicitur falsum, quia est obiectum falsæ enunciationis, & in hoc sensu dixit Paulus idolum esse mendacium. Vltimo modo dicitur quando res non est adæquata, vel conformis atti.



DISPUTATIO EADEM VI.

De tertio attributo entis, scilicet de Bonitate.



QVÆSTIO I.

Quid addat, & à quo ultimo constituatur bonum, ratione cuius sit attributum.

SECTIO I.

Sententia Adversaria ponuntur.

PRIMA sententia est Patris Vasquez, asserentis bonitatem formaliter esse perfectionem, seu integritatem rei in suo esse, atque adeo bonum transcendens formaliter esse idem, quod integrum, & perfectum, quærens ipse quid sit, an absolutum, vel relativum, asserit integritatem illam formaliter loquendo esse relationem integritatis ex pluribus, & non convenientiæ unius rei cum altera, neque esse ad ipsam essentiam, tanquam alicuius illi convenientis, sed versari, quæ ad integritatem requiruntur, respiciendo quodam modo essentiam quam relationem ait in simplicibus esse rationis, in compositis vero esse realem hoc totum data opera, & late explicat 1. part. tom. 1. quæst. 5. disput. 23. cap. 5. 6. 7. & pro se citat Herveum, de quo quid ad nos, hæc sententia probatur.

Primo à Vasquez sic ex Divo Thoma 1. part. qu. 5. art. 1. in solutione ad primum, ubi hæc habet, [sed bonum dicitur rationem perfecti,] & paucis interiectis, [vnde, quod est vltimo perfectum, dicitur bonum simpliciter.]

2 Secundo probatur ratione ex verbis Patris Vasquez, quoniam si alicui rei desit quidquam ex his, quæ ad eius integritatem convenire debent, ex illius defectu dicitur, & est mala, non quia alteri inconvenientis sit, sic enim non absolute, sed secundum quid, seu quibusdam mala dicitur, quia nulla res est, quæ omnibus alijs dis-

R.P. Ildaph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. 1.

conveniens sit: ergo bonitas rei absoluta in integritate illius posita est, hoc modo dicimus malum equum, cui deficit oculus, vel cauda, his argumentis tota sententia concluditur.

Secunda sententia est Patris Suarez in metaph. physica, disp. 10. sect. 1. & 3. ubi num. 5. sic ait, denominatio igitur boni, quæ omni enti necessario convenit, illa est, quæ à perfectione intrinseca, & essentiali desumitur, atque ita bonum sumptum convertitur cum ente. Conclusione autem 3. n. 6. sic ait, Dico tertio, omne ens etiam est bonum respectu alicuius, id est alicui convenientis, quo circa etiam bonum sub ratione convenientis sumptum, cum ente convertitur, & est attributum seu passio eius; explicans autem magis hoc negotium, sect. 1. sic ait. Dicendum ergo supra ens solum posse addere rationem convenientiæ, quæ non est proprie relatio, sed solum connotat in alio talem naturam habentem naturalem inclinationem, capacitatem, vel coniunctionem cum tali perfectione; vnde bonitas dicitur ipsam perfectionem rei connotando prædictam convenientiam, seu denominationem consurgentem ex coexistentia plurium: hæc sententia sic explicata probatur primo verbis Patris Suarez.

Quia quæcunque entitas est convenientis alteri vel tanquam effectus causæ; vel è contra, tanquam accidens substantiæ; & è contra, vel tanquam relatio terminorum, vel tanquam coexistens coexistenti, &c. & ex alio capite includit perfectionem, quia sine perfectione nihil est bonum: ergo in his bonitas consistit.

Secundo, quia talis connotatio in ente sufficit, ut sit nonnulla distinctio rationis, fundata inter ens, & bonum, ut sic possit bonum attribui enti tanquam proprietas, & non esse synonymum cum illo, quia formaliter aliud est esse, seu habere entitatem, aliud vero ratione entitatis habere semper aliquam convenientiam, quam ratio entis non declarat, illam vero dicit.

Tandem hoc potest declarari inductione in omnibus bonis, nam bonum honestum, ex omnium sententia dicit per se convenientiam cum natura rationali, ut rationalis est bonum delectabile, nihil aliud est, quam bonum habens convenientiam cum natura sensibili, bonum autem vile solum dicit bonum aptum, & accommodatum, seu convenientis ad finem intentum; recte igitur convenientia constituit bonum ut sic.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

PRIMA conclusio: bonum non addit integritatem seu perfectionem supra ens, eo modo quo ponitur ab Adversariis: hæc sententia sic probatur.

Primo, quia integritas seu perfectio, est positiva ratio, negatio enim non potest esse perfectio, quod adeo verum est, ut in ipso Deo, ubi totum quantumcunque est, perfectio est, si aliqua negatio dicitur, ut vera negatio, ut est indivisio constitutiva unitatis per vos, non est perfectio, &c. sed ut latissime probatum manet, quæst. 2. Quid addat unum supra ens, positiva ratio non potest esse attributum entis, præcipue cum hic dicat Pater Vasquez, bonum converti cum ente: ergo perfectio seu integritas, quæ positivæ rationes

Ecc 2 sunt

sunt, non possunt esse attributum entis, & si perfectio est negatio erit negatio imperfectionis; unde iam dabitur negatio formalis alterius negationis, vel attributum entis consistit in negatione; utrumque enim contra ipsum est.

7 Secundo, quia ens, quatenus essentialiter est ens, est perfectio simpliciter simplex, ut latissime probatum manet ratione secunda, *quæstione, utrum ens præcindatur simpliciter*, quia quatenus est ens, essentialiter excludit per suum primarium esse, sine aliquo addito suum contradictorium, ut probatum manet latissime, *quæst. Quid addat unum supra ens*. Et ex hoc sequitur, quod ens essentialiter sit melius ipsum quam non ipsum, & quam oppositum illius, cum autem melius comparativum, supponit positivum quod est bonum. Item, quia Deus, & essentialiter, & secundum suam essentiam, & quatenus Deitate constituitur primario, & per se perfectior est essentialiter creatura, & homo, & Angelus respectu equi, & leonis, & Angelus ipse respectu hominis. Unde hoc quod est esse perfectum, non ad secundarium prædicatum ut est attributum, sed ad primarium essentialiter pertinet: ergo, quatenus ens est perfectum, non est attributum entis: ergo attributum est secundarium prædicatum, etsi dicas cum Patre Vasquez, perfectionem concipi, ut conventum, & concursum multorum perficientium.

8 Contra, quia ens ut ens, & de quo interrogamus, probatum manet nullam habere in suo esse multitudinem seu conventum plurium, quia est una simplicissima, & indivisibilis ratio præcisa à quocumque dividente, & plurificante eam, cum abstrahatur ab omni differentia, quæ est ratio formalis dividendi, & multiplicandi: ergo talis conventus in ente est fictivus.

9 Confirmatur, quia non bene intelligitur quod bonitas sit perfectio, & bonum sit perfectum, & bonitas sit relatio, quia relatio supponit fundamentum: sed fundamentum adhuc ut fundamentum, & ut absolutum est perfectum: ergo relatio non est, quæ constituit formaliter perfectum. Minor sola habet difficultatem, & sic probatur, quia Deus ex eo quod essentiam formalissime cum omnibus attributis infinitæ sapientiæ, omnipotentia, misericordiæ, iustitiæ, & cæteris, quæ perfectiones sunt, formaliter ex vi illarum perfectus redditur, quia perfectio essentialiter ante quæcunque relationem, reddit suum effectum formalem primarium perfectum, nimirum, sicut virtus virtuosum, & omnipotentia omnipotentem, quia inter formam, & effectum primarium, nec absolutum, nec relativum intercedit, sed ex vi ipsius formæ unitæ subiecto, & ante quæcunque relationem datur effectus formalis: sed effectus formalis primarius perfectionis, est perfectus formaliter, & omnia illa attributa, & prædicata absoluta ante quæcunque relationem sunt perfectiones formaliter, & sunt in Deo identificata formaliter: ergo Deus perfectus est ex vi illorum ante quæcunque relationem rationis, cum relatio rationis fundetur in Deo, quatenus absolute, & simpliciter habet omnia illa prædicata perfectissima.

10 Præterea, quia in sententia Patris Vasquez tales relationes fundantur in ipsis perfectionibus integrantibus: ergo prius sunt illæ perfectiones quam relatio fundata in illis, sed ex vi perfectionis redditur perfectum: ergo prius redditur per-

fectus Deus, quam sit illa relatio rationis, præcipue, quia relatio rationis actualis, nec cognoscitiva in Deo, neque existenter antecessit, quia in sententia Patris Vasquez Deus non cognoscit entia rationis, nec ab æterno potuit esse ab aliqua creatura quæ non fuit: ergo tantum in tempore fuit talis relatio rationis, sed ab æterno habebat omnem perfectionem Deus sine additione alicuius perfectionis in tempore, ne contraveniretur dicto ipsius Dei, [ego sum Deus, & non mutor:] ergo absolute ante quæcunque relationem rationis, non solum prioritate naturæ, nec solum prioritate temporis, sed etiam prioritate æternitatis Deus erat absolutissime perfectus.

Item, quia esse Deum perfectum, & bonum, imo & infinite perfectum est proprium Dei realiter sine fictione, imo dicere esse fictum perfectum Deum, vel per aliquam perfectionem fictam, non esset tutum in fide catholica, quia iam non verus Deus, sed idolum, vel Deus fictus esset, Deus enim, quatenus Deus verus est, & infinite perfectus, cuius excellentia, eminentia, & perfectio est ipsa divinitas vera; unde si vera Divinitas est, vere, & realiter erunt perfectiones: sed ens rationis & relatio rationis, quæ datur à Patre Vasquez ut sit ratio formalis, quæ constituitur perfectus Deus est ens fictum, quia ens rationis fictivum, & apparens ens est, & non verum ens seu perfectio, adhuc in sententia huius auctoris, qui fateatur ingenue cum omnibus catholicis ex eo quod infinite cognoscitivus sit Deum comprehendere, & infinite cognoscere omnem perfectionem intrinsecam, veram & realem, & tamen non concedit Deum videre ens rationis, quia in sua sententia ens rationis est ens fictivum: ergo siquidem Deus secundum fidem nostram est realiter, & vere perfectus ab æterno, erit talis ante quæcunque relationem rationis.

Vigetur amplius, quia in compositis, v. g. in homine dicitur ipse perfectus per corpus, animam, & unionem substantialiter, quia ex vi suorum conceptuum essentialium una ratio perficit alteram, ita ut ad perfectionem essentialem hominis, in quantum potest amplius perfici, solum requiritur corpus, anima, & unio accidentaliiter autem perficitur homo per potentiam externam, & internam, & cætera accidentia realia, v. g. pulchritudinis, sanitatis, elegantis dispositionis, ponamus exemplum in Adamo ante lapsum in peccatum, qui reddebatur perfectus propter accidentia illa, tam naturalia, quam supernaturalia ante adventum alicuius relationis: ergo, quia perfectum non est ad aliud, sed ad se, quia licet per aliquid distinctum à se ipso sit perfectum, id tamen non est ad aliud magis, quam album aut calidum, licet sic calidum per formam realiter distinctam, in nullo enim relationum genere collocatur perfectum, ut discurrant tam per primum, secundum, & tertium genus relationum patebit: ergo ante omnem relationem est res absolute perfecta.

Ultimo sic probatur, quia si perfectio quæ est 15 attributum entis compositi, est relatio prædicamentalis, ut asseritur à Patre Vasquez, perfectio, quæ est attributum entis per se compositi erit ens per accidens, quod est absurdum, nam attributum debet esse eo modo quo essentia est, quia attributum est exercitium proprium, & immediatum essentia, ut essentia est: sed essentia compositi, v. g. hominis est essentia per se: ergo, & attributum ipsius

ipsum debet esse ens per se. Antecedens sic probatur, quia integritas est relatio inter partes integrantes, & perfectientes rem ad invicem, & ad essentiam, sed non est una relatio, sed tot, quot concurrunt ad integritatem; cum autem in sententia Patris Vasquez sit plurius conventus concurrentium ad integritatem, debent esse plures relationes, una enim ratio integrans non refertur ad aliam per relationem quae non existit in se, sed in alia, ut latissime contra Caetanum probatum manet in Logica, tractatu de Relatione, verum ad absolutum terminetur, & ex alio capite, cum illae perfectiones integrantes ad invicem ordinantur, per distinctas relationes, unaquaeque per distinctam debet ad alteram referri, & non per existentem in alia, ut materia prima non refertur ad formam per relationem quae est in forma, sicut nec forma per relationem, quae est in materia, sed unaquaeque per relationem distinctam existentem in se.

14 Item illae relationes sunt entia completa in suo genere, quia non ordinantur ad componendum aliam tertiam relationem, quia relatio non componitur ex relationibus, ut ex relatione materiae, & formae non resultat una relatio completa, illa enim non haberet terminum suae habitudinis: ergo sunt entia completa multa, & non unita cum non component inter se: ergo est aggregatio relationum; sed aggregatio entium est ens per accidens: ergo illa perfectio, quae talis aggregatio relationum est, est ens omnino per accidens.

15 Explicatur amplius, quia vel sunt relationes quaedam existentes inter partes integrantes, antequam uniantur tales partes, vel post unionem illarum, si ante non sunt bonitas entis compositi per se, quia bonitas est attributum, & attributum supponit constitutam rem cuius est attributum, ita ut attributum antequam sit res non possit esse, quia iam quod posterius est, esset potius, & posterius; sed illae relationes non supponunt ens compositum, imo sunt realiter ante compositum, quia partes ante quam uniantur cum suis relationibus, saltem prioritate naturae reali, antecedunt compositi constitutionem; unde etiam relationes existentes in ipsis, si sint post unionem partium, etiam non possunt esse attributum entis compositi, quia illae relationes licet uniantur partes non uniantur inter se: sed sunt ens per accidens, ut probatum manet.

16 Praeterea, quia vel illae relationes, ut dictum est, aut sunt relationes rationis, aut reales; sed utraque relatio expulsa est à ratione attributi, quaestione prima, & tertia: ergo talis integritas, seu perfectio non potest esse attributum reale entis.

Secunda conclusio. Bonitas non addit, nec constituit in convenientia reali, nec respectu sui, nec respectu alterius. Haec conclusio sic probatur.

17 Primo universaliter, quia convenientia quomodocunque sit, & eo modo quo à Patre Suarez explicatur, est ratio positiva: sed ratio positiva supra explosa est à ratione entis attributi: ergo talis convenientia ut sic, non est bonitas, quae est attributum reale entis ut sic.

18 Secundo universaliter sic argumentor, quia si convenientia, vel sibi, vel alteri est attributum entis, iam non dabantur tria tantum attributa entis, sed aliud quartum necessario multiplican-

dum est: sed non sunt multiplicandae entitates, nec attributa, sine urgente necessitate, & etiam, quia haec multiplicatio exploditur latissime à Patre Suarez, agente de numero attributorum: ergo propter hanc rationem convenientia excludenda est à ratione attributi entis. Maior sic probatur. Nam primum attributum est unitas. Secundum veritas. Tertium est convenientia. Quartum amabile, vel connotans actum voluntatis quod distinguitur à convenientia: ergo.

Dices amabile seu connotans actum voluntatis non esse attributum.

Sed contra, quia non est minus sufficiens ad constituendum attributum connotatio ad voluntatem, & actum eius, quam ad intellectum, & eius actus: sed per te connotatio in ente respectu actus intellectus est sufficiens ad constituendum praedicatum attributale entis: ergo, & illa erit sufficiens. Maior sic probatur.

Primo, quia non est maior ratio, quare sit sufficiens connotatio ad intellectum quam ad voluntatem, nullum enim rationale discrimen potest dari utriusque, quia sicut actus intellectus, & ipsa potentia intellectiva, sunt perfecta entia in suo genere, quibus debet correspondere obiectum perfectum, & completum in illo genere, sine dependentia ab alia potentia, quia intellectus in esse intellectus est perfecta, & completa entitas, sine dependentia ab alia potentia; ita etiam voluntas, ut voluntas est perfecta, & completa potentia sine dependentia ab intellectu in suo complemento, & perfectione, & ideo illi debet correspondere obiectum perfectum, sine dependentia ab obiecto intellectus in suo complemento potentiali, & sicut intellectui correspondet illa cognoscibilitas intrinseca, quae est potentia passiva logica, quae ex eo quod talis est, sufficit ad constituendum ens in esse attributi, sic similiter in obiecto voluntatis datur potentia passiva logica, quae ex eo quod talis est in ordine ad voluntatem, erit sufficiens ad constituendum ens in esse attributi.

Secundo, quia ideo illa connotatio intellectus constituit attributum, quia adaequatur cum ente, & illi convenit proprie, & convenit secundario ipsi, & ex alio capite est perfectio in ente illa capacitas, ut terminet actum intellectus: sed etiam capacitas ut ametur convertitur cum proprio ente reali, ita ut soli enti reali proprie conveniat, & intrinsece per se talis capacitas, & est perfectio, imo proximius videtur esse perfectio, quod est bonum, & obiectum voluntatis, quam quod est obiectum intellectus; magna etenim perfectio est esse obiectum divinae voluntatis amabile, & ideo peccatum formaliter ut tale, minime est amabile respectu Dei, ideoque solet dici voluntas ferri in bonum, & in id quod excellentiam, & perfectionem habet, ut ait Divus Thomas 1. part. q. de voluntate Dei, & 1.2. quaest. de bono, & beatitudine hominis, quod ex Aristotele in Ethicis desumptum est, & ut ait Divus Augustinus lib. 2. de Trinitate, & lib. 1. de Genesi ad litteram, potentia volitiva, & prosecutiva non nisi in bonum perfectum, & amabile tendit. Item est secundaria ratio, & convertibilis cum ente, ut sequenti quaestione probabitur: ergo sicut intelligibile, quod est verum constituit attributum entis, ita, & amabile quod est bonum constituit attributum entis.

Dices amabile ut tale non distingui à conveniente.

Ecc 3 Contra,

22 Contra, quia explicando Pater Suarez quid sit illa convenientia, sic & his verbis explicat; convenientia autem est ens, connotando in alio talem naturam habentem naturalem inclinationem, capacitatem cum tali perfectione ut perficiatur per illam, ut calor est conveniens igni, & frigiditas aquae, relatio termino, &c. Ecce quomodo hæc convenientia est in ordine ad naturalem capacitatem recipiendi, vel perfectibilis sine aliquo ordine ad voluntatis actum: calor enim in ordine ad ignem, & frigiditas in ordine ad aquam, & relatio in ordine ad suum terminum, intellectus in ordine ad essentiam animæ non sunt connotando actus voluntatis in aqua, vel igne, & relatio in termino ipsius; ignis enim, aqua, & relatio sunt incapaces talium actuum voluntatis. Ex alio capite amabilitas, quæ à nobis ponitur est quædam aptitudo, seu potentia logica ad æquate, totaliter, & simpliciter cum connotatione ad actum voluntatis, quia talis amabilitas est obiectum ad æquatum actus & voluntatis, propterea profectiva est, quæ capacitas minime respicit, nec connotat ignem, aquam, & alia huiusmodi, maxime concretionem coniunctam, sed solum potentiam, & actum vitalem perfectissimum, sicut veritas; ergo hæc amabilitas, & illa convenientia distinguuntur, & non sunt idem: ergo si illa convenientia constituit aliud prædicatum, seu attributum, iam dabantur quatuor attributa entis.

23 Tertio probatur particulariter prima pars conclusionis, quia ens ut sic est bonum, & non potest esse conveniens alteri à se distincto realiter: ergo bonitas entis ut sic, non consistit in convenientia entis respectu distincti à se. Prima pars antecedentis patet, quia fatentes omnes bonitatem entis ut sic, interrogamus an sit convenientia respectu alterius: Secunda pars sic probatur, quia ratio superior abstracta à suis inferioribus, non est distincta realiter ab illis: sed ens ut sic astrahitur ab omni, & à quocunque ente reali: ergo non distinguitur ab illis: ergo nulli enti particulari, ut distincto, potest esse conveniens, quia quod à nullo distinguitur respectu nullius potest se habere ut distinctum: sed hæc convenientia petit ut sit convenientia respectu alterius distincti, & ens à nullo ente distinguitur: ergo in ente non datur talis convenientia, sicut, quia propria causalitas realiter petit distinctionem realem inter causam, & effectum, est impossibile ut detur causalitas inter ens ut causam, & aliquod particulare ens ut effectum, quia ens particulare, & ens ut sic non distinguuntur realiter.

24 Secundo, quia bonum transcendens respectu omnium, bonum absolute est, & ideo absolute loquens Deus de creaturis, de quibus poterat aliquo modo hoc in dubium revocari, quia de Deo nec nominetur in vobis tale dubium ait in Genesi. [Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona], ubi non solum absolute bona, sed maxime bona ab infallibili veritate nuncupantur, sicut verum respectu omnium, & unum respectu omnium proprie unum est: sed creatura non est proprie, & intrinsece conveniens Deo, sed tantum extrinsece, & improprie; Deus enim nullius creaturæ indigens est, secundum illud *Psalm.* [Deus meus es tu, quia bonorum meorum non indiges.] Item ut ipse Pater Suarez ait *disp. 10. sect. 3. num. 7.* loquens de Deo his verbis, [in substantia autem simplicissima quæ est Deus, non reperitur proprie intra ipsam hic modus convenientiæ, qui intelli-

gitur unius rei ad aliam: ergo impropria hæc est convenientia respectu sui: ergo quodcumque ens tam increatum quam creatum improprie est conveniens respectu ipsius Dei: sed quodcumque ens tam increatum, quam creatum, est proprie bonum adhuc respectu Dei, creatura enim secundum fidem catholicam proprie bona est, & amabilis non solum amore concupiscentiæ, sed amicitia, Deus autem respectu sui, & omnium propriissime bonum absolute est: ergo bonitas Dei, & creaturarum non consistit in convenientia ad alterum, quia hæc est impropria.

Præterea explicans ipse Pater Doctissimus eo-25 dem numero an una persona divina sit proprie conveniens alteri, & explicans in quo consistat illa convenientia sic ait. Societas personarum est conveniens unicuique item hæc convenientia est ut habitudo respectu principij, & ut relatio respectu termini: sed hæc omnia sunt extrinsece rationes, societas enim coexistentia multorum est, relatio enim respectu termini, & principij respectu principij denominationes extrinsece sunt, quid enim tribuit intrinsece unum coexistens alteri: sed ut probatum late manet supra, denominatio extrinseca non potest esse attributum entis, alias infinita entis attributa multiplicarentur, quia in infinitum possunt variari, & distinctæ denominationes extrinsece multiplicari, quod est summum absurdum. Item quia odium Dei, ut tale est, & error in fide negans Deum esse amabilem summe, & affirmans esse peccaminosum summe, ac insipientem, nulli enti possunt esse convenientia realiter; non Deo, quia sunt contra ipsum immediate, & quantum est ex se sunt destructiva Dei; nec creaturæ, quia nec creaturæ non intellectualem, quia actus vitalis minime pertinet ad non vitalem, & quod non est pertinet ad aliquod, non est conveniens sibi, nec intellectualem creaturæ, quia illud quod est summe disconveniens alicui, non potest esse conveniens respectu illius: sed illa horrenda peccata sunt summe disconvenientia creaturæ intellectualem, non solum secundum negationem rectitudinis, sed secundum illam entitatem positivam individuum, quia ad illam necessario & infallibiliter sequitur illa negatio rectitudinis, sicut maxima combustio ignis, & maxima plaga in corde sunt summe disconvenientes respectu hominis, quia ad illas entitates positivas sequitur necessario, & infallibiliter mors, quæ est negatio, seu privatio vitæ: ergo. Sed illud odium, & error in fide secundum positivam entitatem illorum, sunt entia realia positiva, unde sunt maxime vera, & una: ergo sunt bona transcendentaliter absolute, unde ab illa primario per se, & formaliter tanquam ad effectum absolute bonum concurrat Deus data opera, quia primario formaliter, & essentialiter creatura est, quæ essentialiter primario, & formaliter petit dependere à Deo, quod adeo certum est in fide, ut oppositum dicat Pater Suarez ad maximum hæreticum, ad minimum temerarium, in quo concordant omnes catholici Doctores: ergo bonitas transcendentalis non est convenientia realis respectu alterius, sed in alio ponenda est.

Dices cum Patre Suarez supra citato, quod licet actus erroneus, & odium Dei sunt disconvenientes in ultima ratione specifica, & individua odij, & erronei actus, nihilominus ut sunt actus vitales, sunt convenientes voluntati, & intellectui, & idem est de calore respectu aquæ, qui

Quæst. I. Quid addat Bonitas supra ens. 407

est conveniens, ut ens naturale ut sic.

27 Sed contra; quia odium Dei non solum secundum rationem communem talis actus, sed etiam secundum specificam, & individualement est ens realiter positivum; sed ut est ens reale, est bonum: ergo odium Dei, & actus erroneus non solum secundum rationem actus vitalis: sed etiam secundum specificam rationem, & individualement sunt ens bonum, & nihilominus secundum specificam, & individualement rationem, non sunt convenientes realiter intellectui, & voluntati: ergo convenientia non est bonitas, quæ est attributum entis. Secundo, quia eo ipso quod proprietates seu quodvis aliud adæquetur enti secundum omnem eius latitudinem, necessario debet convenire enti secundum omnes eius particulares specificas, & individuales rationes; alias non adæquabuntur enti, ut ens est in tota sua latitudine, & universalitate, cum rationes specificæ, & particulares pertineant ad latitudinem entis, quod manifeste in veritate, & unitate convincitur; nam unitas, quia adæquatur enti, & veritas ut ens est in tota sua latitudine, non solum conveniunt rebus secundum rationes genericas: sed etiam secundum specificas, & individuales, v.g. quia odium Dei non solum est ens in ratione superiori actus vitalis: sed etiam in specifica, & individuali ratione odij, non solum in ratione actus vitalis est verum, & vnum: sed etiam in ratione odij, & in individuali ratione illius est verum, quia est intelligibile, & de facto vere intelligitur à Deo ut in se est, & est vnum, quia de facto & vere est indivisum; nam vnum numero odium, non sunt multa odia Dei; unde absolute, & simpliciter est vnum odium, & est verum odium; unde veritas, & unitas convenient odio secundum omne quod sunt ens, & secundum omne quod transcendit ens, alias latius patet, & transcederet ens quam attributa, si quidem perveniret ens ad quod non accedit attributum veritatis & unitatis; unde non adæquarentur, & converterentur cum ente, sicut animal non adæquatur cum ente, quia ens transcendit rationalitatem, & irrationalitatem, ad quæ non accedit animal: sed convenientia non convenit odio Dei sub ultima individuatione, & ratione ultima specifica odij, quas transcendunt veritas, bonitas, unitas, & ens: ergo talis convenientia non est bonitas, quæ convertitur cum ente.

Dicit Pater Hurtado talia peccata esse convenientia effectibus, quos producant.

28 Contra, quia convenientia causæ effectivæ respectu effectus est extrinseca: sed supra probatum manet nullum prædicatum extrinsecum posse esse attributum entis: ergo talis convenientia non est bonitas, quæ est attributum entis. Præterea, quia minime solvit argumentum, nam demus per impossibile talem convenientiam esse respectu effectuum: sed nihilominus non est convenientia respectu omnium, ut supra probatum manet: sed bonitas transcendentalis comparatione omnium est bonitas: ergo convenientia non est bonitas transcendentalis.

29 Secunda pars conclusionis sic probatur, quia illud quod est improprium, & metaphoricum prædicatum, non potest esse proprium attributum, & proprietates entis: sed convenientia entis respectu sui, & convenientia divinitatis respectu Dei, & convenientia hominis respectu sui

ipsum est convenientia impropria; & metaphorica; ut bene advertunt Pater Vazquez, & Pater Molina, & ideo potius relationem rationis vocant, quam propriam convenientiam, quod ex Divo Thoma, & Augustino confirmant multi: ergo convenientia sibi non potest esse bonitas, quæ est proprium attributum, seu passio entis realis; maior est evidens, & supra probata manet. Minor sic probatur, quia convenientia ut convenientia propria non est absolutum obiectum in se, & propterea in se est: sed vel est connexio, vel relatio, nam convenientia ut convenientia, si proprie concipiatur petit alterum ut terminum; respectu cuius sit convenientia, & alterum ut fundamentum illius convenientiæ; unde si convenientia est, respectu alicuius est, vel ad aliquem est, sicut sanitas vere dicitur conveniens homini, & beatitudo intellectuali creaturæ, gratia, & virtutes animæ rationali; quare non vere dicitur beatitudo sibi conveniens est, & gratia proprie sibi conveniens videtur, convenientia enim ad alterum est; unde connexio, vel relatio proprie est: sed connexio, vel relatio propria, non potest esse sui ad se ipsum, ut patet v.g. omnipotentia, licet propriam habeat connexionem cum creaturis, & creaturæ cum omnipotentia, & Pater æternus dicat propriam, & veram relationem ad Verbum divinum; nihilominus nec habet, nec potest habere omnipotentia propriam connexionem secum, nec Pater habet propriam relationem realem sibi, & ratio à priori est, quia connexio licet detur aliquando ut pura v.g. in Deo respectu creaturarum; etiam datur connexio non pura, quæ relatio est; unde omne relatum ea ratione qua tale est connexum est, licet non è contra: sed ubi datur, & maius non est necessarium & minus: ergo ubi est identitas, quæ est maior ad id quod ponitur connexioni, seu relationi, non erit necessarium quod est minus, scilicet connexio, vel relatio, nam datur connexio vel relatio ad pertinentiam non repugnantiam sed sequelæ: sed ubi est identitas maior sequelæ datur consequentiæ: ergo ubi est identitas ad pertinentiam sequelæ, non est necessaria connexio seu relatio, quia datur distinctio realis, quis enim ut diximus potest proprie sibi relatus, vel connexus esse, sicut dicit idem sibi proprie esse conveniens, cum conveniens ut conveniens ad alterum sit, sicut nullus potest concipere causam, nisi in ordine ad aliud, quia si causa est alicuius debet esse, & sicut simile non potest esse, nisi alteri, & non sibi; ita conveniens non sibi, sed alteri conveniens proprie est: sed idem respectu sui non se habet, ut alteri ergo idem respectu sui non potest esse conveniens proprie.

Nec valet dicere quod est conveniens sibi, quia 30 sine ipso nec conservari, nec esse potest.

Bene ergo causa posset esse respectu sui, quia 31 nec per potentiam Dei absolutam potest conservari, nec esse sine se ipso. Item, & simile poterat esse respectu sui, quia similitudo est convenientia in eodem gradu qualitatis, & ex alio capite datur convenientia sui ad se ipsum per 30, & datur maior identitas respectu sui ipsius: ergo iam datur perfecta similitudo, & propria respectu sui ipsius: sed maximum absurdum est, quod sit causa & similitudo, ut latissime demonstrat Pater Franciscus Suarez, *Tractatu de Causis, & Prædicamento Relationis*; ergo maximum absurdum

dum est, quod sit sibi proprie conveniens, nam tota latitudo convenientiae fundat relationem primi generis, convenientia in substantia relationem identitatis, convenientia in quantitate, relationem aequalitatis, & in qualitate similitudinis, ita ut Aristoteles, & omnes Doctores asserant, & Theologi cum Divo Thoma, quod ubi est vera convenientia datur propria, & vera relatio, & ideo omnes Theologi 1. *parie* asserunt non dari relationem propriam identitatis inter personam Patris, & Filij, quia persona Patris, & Filij non conveniunt in substantia, & essentia proprie, & his verbis reddit rationem Divus Thomas, & Pater Suarez, quia ubi est identitas in essentia non datur propria convenientia in essentia: sed persona Patris, & Filij sunt idem in essentia: ergo non proprie conveniunt in essentia: ergo non datur inter illas personas relatio convenientiae propria & identitatis: ergo ubi est propria, & vera identitas non vera, & propria convenientia est: sed impropria, & metaphorica: ergo ens ut sic, Deus & creatura non habent propriam convenientiam respectu sui, sed impropria, & metaphoricam, quia respectu sui habent summam, & omnimodam identitatem, ita ut distinctio opposita tali identitati sit rationis ratiocinantis, & ut vno pandam verbo, sit chimerica, sed nihilominus ens in se, Deus & creatura habent propriam, & veram bonitatem transcendentalem: ergo bonitas transcendentalis non est illa convenientia impropria, & metaphorica.

32 Ultimo, quia convenientia sibi est relatio rationis, sicut convenientia ad alterum realiter est realis: sed relatio rationis non potest esse reale attributum entis realis, ut est bonitas, quod supra late demonstratum manet: ergo, Maior sic probatur, quia illud quod est fundamentum relationis realis ad alterum realiter, si consideretur in ordine ad se, & respectu sui, est fundamentum seu relatio, si formaliter sumatur, v.g. quia causa respectu alterius est vera, & realis causa, & quia mensura est vera, & realis mensura respectu alterius, si autem causa aliquo modo concipiatur respectu sui ipsius, & mensura respectu sui ipsius, & diversitas respectu sui, fundamentaliter est diversitas rationis, & formaliter relatio rationis, & causa fundamentaliter est fundamentum rationis, id est in ordine ad fictionem, & formaliter est relatio rationis, & idem est de mensura: sed convenientia realis respectu alterius est vera, & realis convenientia, & formaliter est relatio realis: ergo si concipiatur respectu sui, est convenientia rationis, seu relatio rationis formaliter, & fundamentaliter fundamentum in ordine ad rationem.

Et si dicas non esse respectum rationis, sed connotationem respectu sui esse.

33 Sed contra, quia illa connotatio non potest esse realis, sed rationis, quia ideo relatio non potest esse realis sui ad se ipsum, quia relatio ut talis est ad aliud in suo conceptu, & idem non potest esse aliud respectu sui realiter, sed ad maximum ratione tantum: ergo connotatio, quae etiam est ad aliud, ut omnipotentia connotat creaturas possibiles, possibilitas connotat existentiam, non potest esse realiter ad se, quia idem non potest realiter, sed tantum per rationem esse aliud a se; Item quia ipsa connotatio petit terminum ad quem sit: sed idem non potest esse terminus respectu sui ipsius, & ideo non potest esse terminus

suae relationis, praecipue cum terminus connotatus in omni propria, & reali connotatione, ut discurrunt per omnia pateat, nunquam sit de primario, & intrinseco constitutivo connotantis, sed quasi secundarie, & extrinsece conveniat, & pertineat ad connotans: sed nihil magis de primario formali, & intrinsece constitutivo sui ipsius, quam idem ipsum, quod respectu sui, nec extrinsecum, nec secundarium potest dici; unde illa connotatio, & est impropria, & est ratio- nis.

Ultima conclusio, bonitas entis addit supra 34 ens non positivum, sed negationem, quae negatio est potentia intrinseca logica, ut ametur seu appetatur per voluntatem, sed tota illa bonitas consistit, non solum in illo negativo, sed includit essentialiter ipsam rationem, seu perfectionem entis. Itaque bonum absolute est ens potens amari, seu perfectum amabile. Haec sententia est expressa Divi Thomae 1. *part. quest. 5. art. 1. in corpore*, ubi sic ait his verbis: [Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile] (ubi dicit, & aliquid, & appetibile) unde Philosophus in 1. *Ethic.* dicit [id bonum est, quod omnia appetunt] manifestum est autem, quod unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum: sic ille, id est, secundum quod includit perfectionem entis; *articulo autem 2. ad 1.* sic ait, Bonum autem cum habeat rationem appetibilis; *articulo autem 3. ad 1.* ait expresse sic, bonum non addit aliquid supra ens: sed rationem tantum appetibilis. Similia verba habet 1. *part. 9. 1. 6. art. 2. § 3. & eadem, quest. 5. articulo 3. in corpore* sic ait, omne ens est quodammodo perfectum, perfectum vero habet rationem appetibilis & boni, ut ex dictis patet: unde sequitur, omne ens in quantum huiusmodi bonum esse, sic ille; *articulo autem 5. in corpore* sic habet, Respondeo dicendum, quod unumquodque dicitur bonum in quantum est perfectum, sic enim est appetibile, & idem habet *articulo 4. ad 1. & quest. 6. de Bonitate Dei, art. 1. in corpore*, ubi sic dicit, Bonum enim aliquid est, secundum quod est appetibile, ubi nota illa verba, secundum quod est, ubi enim significatur essentialis ratio, sicut dicitur sapientissime a Divo Thoma homo est talis secundum quod est rationalis. Hanc etiam sententiam confirmat Divus Thomas 1. *contra Gentes, cap. 4. art. 1.*, & est sententia expressa Aristotelis, 1. *Ethic. cap. 1.* ubi definit bonum ait bonum est, quod omnia appetunt, seu quod est appetibile, & haec verba repetit quocumque de bonitate loquitur.

Primo, ratione probatur nostra sententia, & 35 quoad primam partem de negativo addito supra ens, & non positivo probatur omnibus rationibus, quibus probatum manet unum non posse addere positivum aliquod, sed negativum. Deinde ratione, qua probatum manet, ex eo quod creaturae possibiles sint bonae, praeter argumenta, quibus probavimus, solum mutata materia creaturas possibiles esse veras; probatur etiam esse bonas, quod sic denuo arguetur, quia bonitas, & amabilitas sequitur id, quod vel per identitatem, vel per connexionem solum coniungitur divinae bonitati, quae divina natura completa est, & conducit ad illius perfectionem: sed creaturae possibiles, pro ut tales coniunguntur cum divina omnipotentia, & natura, non per identitatem, sed per connexionem, & conducunt, ut obiectum ad esse divinae omnipotentiae; obiectum enim seu ratio formalis

formalis sub qua obiectiva maxime conducit ad potentiam, sicut bonitas, & veritas ad intellectum, & voluntatem: sed ratio formalis, sub qua divina omnipotentia est possibilitas, licet sine aliqua specificatione respectu illius: ergo illa possibilitas, & connectitur cum divina natura, & conducit maxime ad perfectionem omnipotentia; item, quia sicut negatio connexionis cum existentia, & omnipotentia in nihilo est malum transcendentaliter, ita connectio possibilitis cum existentia, & omnipotentia, erit bonum in possibili.

36 Secundo probatur hoc negativum esse potentiam logicam, vt ametur eisdem argumentis, quibus probavimus potentiam logicam in ente, ad hoc vt intelligatur esse negativum in ipso ente.

37 Tercio sic probatur, quia ens habet intrinsecam potentiam logicam, vt ametur. Vnde intrinsece amabile est: sed hæc amabilitas cum entitate propter, & per se convenit enti convertibiliter cum illo, & secundario, & non primario essentialiter: ergo est attributum entis. Maior probatur eisdem argumentis quibus probavimus supra potentiam logicam, vt intelligatur esse intrinsecam enti: sed non est maior ratio de potentia logica, vt intelligatur, quam de potentia logica vt ametur: ergo si ens est intrinsece cognoscibile, erit intrinsece amabile, quia sicut est natum aptum vt intelligatur, sic etiam est aptum natum, vt ametur: minor quoad primam partem sic probatur, quia ens reale vt reale est, est bonum sine controversia: sed bonum vt tale est amabile, nullum enim aliud obiectum voluntatis profectiva est, seu amativa potentia, nisi bonum, & illud quod est obiectum voluntatis profectiva est amabile, sicut obiectum potentia visiva, est visibile, & obiectum intellectus est intelligibile: sed omne ens reale est bonum, vt dictum est, & omne bonum est amabile, vt etiam manet probatum: ergo omne ens reale est amabile. Quod autem convertatur amabilitas cum ente sic patet, nam de quocunque prædicatur ens, prædicatur bonum, & de quocunque prædicatur bonum prædicatur amabile, vt patet ex Aristotele 2. Ethic. cap. 6. nam in hoc sensu inquit ibi, quod bonum dividitur in decem prædicamenta, ubi vt apparet confirmat, & tunc Divus Thomas; eandem latitudinem tribuit enti, ac bonitati, nam sicut tota latitudo entis transcendit Deum, & creaturas, ita tota latitudo bonitatis transcendit illa, & sicut tota latitudo entis est obiectum intellectus, & ideo est verum ac per consequens intelligibile, ita tota latitudo entis est obiectum voluntatis, quia vna potentia non habet maiorem spheram, quam alia: ergo omne ens est bonum, & amabile. Quod autem omne bonum sit etiam ens reale si de bonitate, aut amabilitate propria, & per se loquamur, quia illud quod non est ens reale, nec actu, nec potentia sicut chymæra, aut purum nihil, nullam rationem habet motivam voluntatis, quia quod nihil est, nihil potest movere, & quod vere non est, non potest vere movere; vnde si amatur impossibile non per se amatur v. g. æqualitas Dei respectu Dæmonis, & quia falso concipitur, vt possibilis, quia vt impossibile, & vt merum nihil non potest amari, nec appeti.

38 Secunda pars minoris sic probatur quod secundario conveniat enti, quia illud prædicatur. R. P. Ildeph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

tum, quod convenit alicui subiecto, & non includitur in primaria definitione illius, convenit secundario illi: sed amabilitas in nulla definitione entis, & prædicata quæ hæc sunt (habens essentiam realem; & non repugnat existere realiter) continetur, & ex alio capite, vt probatum est, convenit enti: ergo amabilitas secundario convenit. Item, quia iste conceptus amabilitatis, seu bonitatis includit potentiam logicam, vt ametur, vel est ipsa potentia logica, quæ cum sit negatio formaliter, non includitur in ratione entis primaria constituendo ipsum ens, quatenus ens est; cum iam supra dixerimus, negationem distingui in re à conceptu primario entis; vnde clare, & adæquate concipitur ens, quin concipiatur clare amabilitas, nec illa non repugnantia vt ametur, quæ bonum constituit: item quia hæc causalis est vera, ideo est amabile, quia est ens, & non ideo est ens quia est amabile: ergo amabilitas secundario competit enti. Consequentia præcipua est clara, quia nihil aliud requiritur ad proprietatem attributi, quia quod conveniat aliquod prædicatum subiecto, non vt positivum, adæquate distinctum, & quod intrinsece, secundario tamen conveniat, quæ omnia reperiuntur in amabilitate vt diximus.

Confirmatur, quia bonitas respectu amabilitatis se habet, sicut veritas respectu intelligibilitatis: sed veritas, & intelligibilitas sunt idem; vnde sicut veritas est attributum entis, sic intelligibilitas: ergo bonitas, & amabilitas sunt etiam idem, & sic sicut bonitas est attributum entis sic amabilitas. Antecedens sic probatur, nam verum vt tale est, quia est obiectum intellectus habens capacitatem intrinsecam, vt intelligatur est intelligibile, & habet illam denominationem proportionatam intellectui, & intentioni tendentibus; vt in proprium obiectum in illud: sed bonum vt bonum, est obiectum voluntatis, & habet capacitatem intrinsecam vt ametur ab illa: ergo est amabile formaliter, & habet hanc denominationem intrinsece proportionatam potentia amativa, & amori tendentibus in illud, tanquam in proprium obiectum, quod adeo verum est, vt necessario, si vt bonum explicandum est; explicandum sit etiam in ordine ad amorem, vt patet ex Genesi. ubi loquens Deus de bonitate rerum, statim quasi ante oculos proponit suum amorem circa illas, vt optime explicat Pater Pereira, secundum mentem Divi Augusti, lib. de Genesi ad liter. Divi Anselmi in monol. nam dum ait: vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; nihil aliud facit nisi recensionem divinum operum, quæ recensio, quædam in illis complacentia est, complacentia autem actus amoris, & voluntatis est, quod contingit, vt quando artifex egregium, numerisque omnibus absolutum opus, ad rectum perfectionis fastigiumque perduxit, in illud oculos defigit, singula delineamenta mira persusus voluptate perpendit, maximoque amore circa illud sibi complacet.

Tandem probatur argumento, quo secunda conclusio probavimus nostram sententiam incipendo a s. ubi incipit, Secundo, quia illa connotatio, mutando tamen verba illa, sic lono connotationis capacitatis entis, vt intelligatur constituit ens intrinsece in ratione attributi ipsius: ergo capacitatis, vt ametur, &c.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta solvuntur.

⁴¹ Ad locum Divi Thomæ illo axioma seu principio iuris, nisi tota lege perspecta non debet dicere ius iudex; unde ad hoc ut Pater Vazquez, ut rectus iudex procederet, deberet totum integrum locum Divi Thomæ adducere; nam si integer locus Divi Thomæ legatur, non solum ait bonitatem in perfectione, sed etiam in appetibilitate consistere, ut patet clarissime ex verbis Angelici Doctoris pro nostra conclusione adductis. Item falsum est dicere perfectionem illam esse integritatem, vel plurium conventum, quia ratio entis simplicissima, & præcisa simpliciter est in sententia Divi Thomæ, ubi non potest dari ulla pluralitas; item ipse Divus Thomas qui in aliquibus locis ponit perfectum, & appetibile, in alijs explicando quid sit illud perfectum, dicit esse ens, seu aliquid addendo ens quodammodo perfectum est, & sic aliquando dicit bonum est ens, & aliquando appetibile, & in alijs locis dicit bonum solum addere supra ens appetibilitatem. Ex quibus colligitur perfectum non sumi in eo sensu, quo à Patre Vazquez assumitur, sed in sensu à nobis adducto in conclusione vltima.

⁴² Ad secundum responderetur distinguendo, dicitur mala secundum quid, & ut opponitur perfectio, ac numeris omnibus absoluto concedo, ut opponitur bono transcendentali, nego; nam licet alicui, v.g. homini oculus, seu brachium deficiat, nihilominus bonus est transcendentaliter, non autem bonus, id est, absolute perfectus, de qua perfectione nunc non loquimur.

⁴³ Ad primum secundæ sententiæ Responderetur dicendo, transeat antecedens, & nego consequentiam, & ratio est, primo, quia ut supra diximus hæc convenientia si est realis, est positivum quid; positivum autem non potest esse attributum entis. Item dicimus convenientiam respectu entis esse, vel denominationem extrinsecam, vel relationem rationis, & utrumque non esse aptum, ut sit attributum entis. Item dicimus, quod sicut licet omnia, quæ sunt in mundo, omnia sint relativa vel dicant aliquam relationem, cum illa relatio sit ens & positivum, ens in communi est positivum in communi; unde abstrahit ab omni relatione, quia abstrahit ab omni ente positivo, sic licet omnia dicant convenientiam, cum illa convenientia sit positivum aliquid ens, quod est positivum ut sic abstrahit ab illa convenientia ad alterum; unde non est convenientia, sicut licet omnia habeant disconvenientiam aliquam ad invicem, ens abstrahit, & non est convenientia, nec disconvenientia, sed præcise est non convenientia, cum tamen positive, & affirmative sit bonum.

⁴⁴ Ad secundum Responderetur, quod licet sit distinctio rationis inter convenientiam & ens, nihilominus convenientia non potest esse attributum entis secundum omnem suam latitudinem, propter rationes dictas.

⁴⁵ Ad vltimum Respondeo, dicendum cum Divo Thomæ, *quest. 5. artic. 6. in corpore*, his verbis, quod hæc divisio in bonum non est tum vtile, & delectabile proprie videtur esse boni humani; si ta-

men altius, & communius rationem boni consideremus, invenitur hæc divisio proprie competere bono, secundum quod bonum est; nam bonum est aliquid in quantum est appetibile, seu amabile, & terminus motus voluntatis, cuius quidem motus terminatio considerari potest ex consideratione motus corporis naturalis; terminatur autem motus naturalis corporis simpliciter quidem ad vltimum; secundum quid autem etiam ad medium, per quod itur ad vltimum, quod terminat motum, & dicitur aliquid terminus motus in quantum aliquam partem motus terminat, id autem quod est vltimus terminus motus, potest accipi dupliciter, vel ipsa res in quam tenditur ut potest locus, vel forma, vel quies in illa res; ergo in motu appetitus, id quod est appetibile terminans motum appetitus secundum quid ut medium, per quod tenditur in aliud, vocatur vtile; id autem quod appetitur, ut vltimum terminans totaliter motum appetitus, sicut quædam res, in quam per se appetitus tendit, vocatur honestum, quia honestum dicitur quod per se desideratur, id autem quod terminat motum appetitus, ut quies in re desiderata, & delectabile.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex sit bonum.

PRIMA conclusio: Primo sumitur bonum pro eo quod est perfectum, id est cui nihil deest in suo genere, quia illi convenit omnis ratio perfectionis sibi debita, v.g. Angelus alio modo sumitur, id est dividitur perfectum in perfectum simpliciter omni genere entis absolute, ut est Deus, qui vel eminenter, vel formaliter continet omnem perfectionem excogitabilem incretam formaliter, quia est perfectio si ne imperfectione, creatam autem eminenter, quia omnis creata perfectio admiscetur alicui imperfectioni, & quia dependentia, & limitatio, quas omne ens creatum dicit, necessario imperfectiones sunt, & imperfectum in aliquo genere, ut est relatio Paternitatis in divinis, & quodcumque attributum distinctum à divina essentia penes magis expressum, & confusum, ut est omnipotentia, misericordia, & iustitia. Item hoc perfectum in aliquo genere dividitur in perfectionem simpliciter simplicem, & in perfectionem, quæ non est talis: Perfectio simpliciter simplex est illa, cuius definitionem ex Divo Anselmo, supra *quest. de præcissione entis*, ventilavimus, quæ est melior ipsa, quam non ipsa, & quam opposita sibi, v.g. sapientia divina, quæ est melior, quam negatio sapientia, & quam error, seu positiva ignorantia. Perfectio autem, quæ non est talis, relativa est, ut Paternitas in divinis, quia licet sit melior, quam negatio Paternitatis in divinis, non tamen est melior, seu perfectior suo opposito in divinis, v.g. relatione filiationis, quia omnes relationes in divinis æquales in perfectione sunt.

Secunda conclusio: secundo sumitur bonum pro eo quod est absolute, & in se tale, quod transcendentaliter vocatur, cuius essentia consistit in excellentia, cui non repugnat terminare amorem, de quo latissime egimus, & est superius, bonitate Dei, bonitate Angeli, & hominis, & cæterorum, &

Quæst. vlt. Quid sit malum, & quotuplex. 411

& hoc bonum potest dividi in honestum, vile, & delectabile, quorum definitiones quæst. superiori ex Divo Thoma tradidimus in hoc sensu.

Tertio sumitur bonum pro illo, quod non est absolute, seu absolutum, & in se bonum; sed pro illo, quod est alteri bonum, quod idem est, ac conveniens; ut calor igni, humiditas aquæ; & hoc dupliciter potest sumi, vel privative, vel positive. Positive est, quando illud quod conveniens dicitur, est entitas seu perfectio positiva debita vel consentanea alicui, ut intellectus respectu animæ rationalis, amor Dei respectu creaturæ intellectualis. Privative est quando illud conveniens est formaliter negatio alicuius disconvenientis, ut negatio doloris in animali, non enim minus conveniens est homini habere sanitatem, quam carere dolore, & aquæ frigiditas quam carentia caloris, quod adeo verum est, ut si Deus ut potest, coniungeret in aqua calorem, & frigiditatem, non esset hoc illi tam conveniens, ut quando illi adest frigiditas, & privatio caloris. Sed nota quod positivum bonum alteri seu conveniens illi, necessario includit bonum transcendente, vel supponit illud, nihil enim est alteri bonum proprie, & in rigore, nisi quod in se est bonum, & perfectionem habet alteri convenientem. In hoc sensu bonum proprius dividitur in bonum vile, delectabile, & honestum, quam divisionem tradidit Divus Thomas 2. 2. q. 145. art. 3. eamque affert ex Ambrosio lib. 1. Offic. c. 9. & 10. Clarius tamen ex Aristotele 2. Ethic. cap. 3. & lib. 8. cap. 2. quæ divisio cum pio, & eximio Doctore sic debet explicari; cum igitur bonum in hoc sensu idem sit, quod conveniens dupliciter potest aliquid esse homini conveniens uno modo per se ipsum, quia nimirum illa perfectio, quam in se habet ex se ipsa consentanea, & conveniens est homini, & hoc modo vocatur bonum honestum ut est virtus, & honor, seu nobilitas, & sic virtuosum, & nobilem hominem honestum vocamus, quod adhuc dupliciter potest accidere, primo quod sit conveniens in ordine ad delectationem quam tale bonum secum affert, & hoc est bonum delectabile; secundo ut diximus absque ordine ad delectationem, sed solum quia per se deest, vel conveniens est homini nullo ad aliud respectu, & hoc est supradictum bonum honestum.

Alio vero modo est aliquid conveniens non per se ipsum sed solum ratione alterius boni, quod per illud, seu mediante illo obtineri potest, quia nimirum licet ex se expectatum delectationem non afferat, neque ex se deest, aut conveniens sit homini, tamen ut conferre potest ad aliud bonum obtinendum conveniens censetur, & hoc est bonum vile, v. g. pecuniæ. Iterum hoc bonum alteri, seu conveniens; aliud conveniens moraliter, aliud physicè; conveniens moraliter est, quod est consentaneum homini iuxta regulas rectæ rationis, ut actus honesti liberi, quod adhuc dividitur in naturale, & supernaturale; supernaturale est, quod est supra omnia principia intrinseca eius cui convenit, quod etiam proportionaliter, & immediate conducit ad consequendam beatitudinem, ut gratia, charitas, fides, &c. Naturale est, quod secundum principia naturalia, & mores naturali lumine regulatos homini conveniens est, ut amor Dei naturalis, religio Dei, ut auctoritas naturalis, amor, & reverentia Parentum. Physicum est illud, quod est conveniens homini

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

spectata precise naturalis rei constitutione, non curando, sitne iuxta, vel contra rationem, ut homini est conveniens honor, bona, voluptas, intellectus, elegantia corporis. Item dividitur hoc bonum physicum in extrinsecum, & intrinsecum; intrinsecum est, ut salus, materia formæ, vel è contra, & tandem quod per physicam unionem unitur rei cui convenit. Extrinsecum est, quod extrinsece se habet respectu subiecti, quod etiam morale solet vocari, ut bona fama, gloria, & bonum nomen.



QVÆSTIO VLTIMA.

Quid sit malum, & quotuplex.

PRIMA conclusio: Malum formaliter in se intrinsece, & absolute omnino non est positiva entitas. Hic est articulus de fide, contra hæresim Manichæorum; Manichæi & Priscillianistæ asseriebant malum esse naturam positivam quarundam rerum, quæ censabantur esse omnino mala, & à quodam principio summè malo profectæ, quoniam vero scriptura sacra aperte docet, & unum esse tantum primum principium rerum summe bonum, & omnes res ab illo effectas bonas esse iuxta loca scripturæ supra citata, ideo apud catholicos certum est, malum non posse esse rem aliquā positivā, quæ ex natura sua, ac secundum se totam mala sit. Totum hoc confirmant late Patres, Dionysius de divinis nominibus, cap. 4. ubi ait malum non esse existens, nec esse aliquid, & Augustinus lib. 11. de civitate Dei, c. 9. sic ait. Mali nulla natura est, sed amissio boni mali suscepit nomen, & idem lib. 12. à principio, & in Enchiridione cap. 11. Res in quantum quadam natura sunt ait, non possunt esse malæ, & lib. 83. idem ait, & idem, lib. 3. Confess. lib. de natura boni, contra Manichæos, & lib. 2. de moribus Man. Idem docent Basiliius, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, & cæteri Patres citati à Divo Thoma 2. 2. Pater Suárez in metaph. Pater Vasquez, 1. part. quos sequuntur omnes Theologi unanimiter; & ratio evidens est, quia entitas positiva ex se habet potentiam logicam, ut ametur, per quam constituitur in esse boni: sed eadem entitas positiva non potest simul habere repugnantiam ut ametur, per quam & per negationem entitatis constituitur in esse mali: ergo nulla entitas positiva potest esse simul mala & bona, siquidem nulla entitas positiva potest simul esse & non esse, repugnare ut ametur, & non repugnare, quæ sunt constitutiva mali, & boni.

Malum tot modis dicitur ut bonum, & sicut datur bonum transcendente, quod est ensiciens non repugnantiam ut ametur, sic malum transcendente, & absolute malum est oppositum bono transcendentali purum nihil cum repugnantia ut ametur. Item datur malum oppositum perfectio, quod non absolute malum, sed secundum quid dicitur, id est, non tam perfectum, id est cui deficit aliqua perfectio debita, v. g. Angelus sine intellectu, & in hoc sensu communiter verificatur illud axioma Dionysij cap. 4. de divinis nominibus. Bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.

Fff 2 Item


3. Item datur malum oppositum oppositum bono convenienti, quod consistit in disconvenientia respectu alicuius, cuius malitia iam in privativo; iam in positivo consistit, siccitas, & calor suis entitatibus positivis disconvenientes sunt aqua, & sic hæc disconvenientia in positivo consistit. Malitia disconvenientiæ privativa est carentia frigiditatis, seu humiditatis in aqua, & carentia vitæ in homine, & ut universalis definiatur, nihil aliud est quam carentia convenientiæ respectu alicuius, vel rei convenientis, itaque aqua habet duo mala, & siccitatem, & calorem, quæ sunt malum positivum, & carentiam frigiditatis, & humiditatis; unde si aqua haberet simul humiditatem & siccitatem, calorem & frigiditatem, non haberet tantum mali, ac si haberet tum siccitatem, tum carentiam humiditatis, & siccitatem in malis pœnæ damnatorum tormenta sunt illi mala positiva, non solum quia privant lætitiâ, ut ait Augustinus: sed quia tam horridi cruciatus se ipsis sunt disconvenientes damnatis, v.g. ignis per alligationem, vel elevationem, non solum corpora damnatorum: sed etiam animas, & spiritus cruciatibus afficiunt.

4. Ultimo hoc malum dividitur in malum morale, & physicum; physicum, ut calor, & carentia, frigiditatis, ut diximus in aqua. Morale, ut peccatum mortale, seu culpa lethalis, cuius formalitas consistit in carentia, seu privatione rectitudinis debite actui ut quo, potentia ut quid, de quo latissime 1. 2. agitur.



DISPUTATIO VII.

De Divisione entis in possibile, & actuale.



QVÆSTIO I.

Quid sit formaliter possibilitas, & in quo essentia eius consistat.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum ponuntur.

PRIMA sententia asserit possibilitatem formaliter esse negationem primariam, & immediatam actualis existentia, ac proinde esse contradictorium immediatum illius, cum connotatione tamen existentia pro statu extractionis extra causas. Hæc sententia falso attribuitur Patri Suarez, ut ex ipsius verbis postea citandis patebit, imo nullius auctoris est, non solum eorum qui sua scripta typis mandarunt, imo ni fallor, neque eorum, qui in scriptis metaphysicam discipulis reserant, præter unum solum metaphysicum Neotericum, alioqui doctum in hoc negotio minus solidum, in cuius sententia oculis usurpabitur quantum humanæ mentis acumen machinetur, si difficultatum abstrusarum pondere, & argumentorum firmissimis lateribus nimirum quantum

opprimatur, huius auctoris vestigijs, firmissime insistant, qui tanquam latentes perbiberunt.

Probatur primo, quia illam (ut ipsius auctoris verbis utar) conceptis verbis docuit Aristoteles *nono metaph. c. 3.* quando protulit, non entium quædam potentia sunt, non autem sunt, quoniam endecheya (id est actu) non sunt, ex quo loco manifeste probatur nostra conclusio. Creatura possibilis ex Arist. est potentia solum ens: ergo actu est non ens: sed non ens formaliter est quædam negatio entis: ergo creatura possibilis est formaliter negatio quædam entis. Primum antecedens ostendit Aristoteles inde, quia quæ endecheya, id est, actu non sunt, non sunt ens actu, quia per endecheyam, sive per actualitatem existendi res sunt formaliter entia: atqui creaturæ possibiles non sunt endecheya: ergo neque sunt entia actu: ergo ut sic dicunt formaliter negationem sive carentiam actualitatis, & existentia.

Secundo, quia creatura possibilis, lapis, v. g. in se, & ex se est possibilis, & non ab omnipotentia Deizimo ideo illam omnipotentia potest producere, quia ex se non repugnat produci: ergo in se, & ex se habet aliquod esse, quod sit, vel in quo fundetur illa non repugnantia: sed hoc nequit esse positivum actuale: ergo est negatio aliqua; tunc sic, negatio est alicuius positivi negatio, sed hoc positivum aliud esse non potest ab actuali existentia ipsius lapidis: ergo possibilitas est negatio actualis existentia. Minor sic probatur, quia in lapido solum considerari potest esse possibile, & esse actuale, & existentiale eius: sed possibilitas lapidis non negat esse possibile ipsius lapidis, alias ipsa possibilitas lapidis esset impossibilitas lapidis; negat ergo solum esse actuale, sive actualem ipsius lapidis existentiam.

Tum etiam, quia sicut negatio non opponitur immediatè alteri negationi; ita neque immediate illam removeret: ergo possibilitas lapidis non remouet ipsum esse possibile.

Dices esse negationem repugnantia.

Sed contra, quia negatio repugnantia non est negatio, sed positivum: ergo negatio quâ importat formaliter possibilitas creaturæ, non est negatio repugnantia per se ipsam formaliter. Antecedens probatur, quia negatio negationis non est negatio sed positivum, quia duæ negationes simul sumptæ non negant, sed affirmant; unde nonnullus, idem est, ac aliquis, & necnon, idem est ac sic: atqui repugnantia est negatio: ergo negatio repugnantia est negatio negationis, ac proinde non est negatio sed positivum.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

Conclusio: possibilitas non est formaliter, & primario negatio existentia. Hæc sententia est communis, & certa.

SVBSECTIO I.

Auctoritate probatur conclusio.

Auctoritas sumitur ex Divo Thoma 1. par. 6 quæst. 25. art. 3. in corpore, ubi post multa sic ait.